Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Precessit fide populus iudeorum eandemque subsequitur gentilium multitudo. una omnes uoce osanna hebraice uel latine sonat salua clamabant. quia quod salus mundi sit xpc agnoscebant. Addebant in excelsis. quia aduentus eius non tantum hominum salus sed totius sit mundi. terrena iungens celestibus ut omne genu ei flectatur celestium terrestrium et infernorum.

Et intrauit ihc in templum dei. Ingressus ciuitatem primo templum adiit. Nos quoque informans ut in omni loco religionis diuine studium orationis omnibus terrenis negotiis preponamus. Decima quoque die mensis precepit moyses agnum sumere et usque ad quartam decimam diem seruare prefigurans istum dominum aduentum post habitum in bethania conuiuium decima die mensis in ciuitatem ante pascha quinque diebus in qua sustinebat donec .xiiii. die mensis mosaycum agnum accipiens cum discipulis in locum orationis egressus ubi a iudeis comprehensus et ligatus sue iam immolationis sacramenta inchoaret.

Et eiciebat omnes uendentes usque uos autem fecistis illam speluncam latronum. Excogitauerunt hanc predam de populo sacerdotes ut hostie diuerse de longinquo uenientibus uenderentur ut ipsi rursum empta susciperent. et ne hanc strofam eorum inopia uenientium dissiparet posuerunt nummola